



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit & significet lauacrum regenerationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

2. *Quid fideles in hoc uoueat Deo.*  
 3. *Quam diu duret hac regeneratio.*



Ecundum Apostolum ad Tit. 3. Lau-  
 crū regenerationis est, quo anima laua-  
 tur in sanguine Iesu Christi à peccatis  
 omnib. tam originali quam actuali: itē  
 est innouatio qua Spiritus S. innouat  
 hominem, nouamq; in Christo creaturā facit, & ite-  
 rum generat, iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex  
 aqua &c. Nascitur enim primò vetus homo, sed per  
 aquam regenerationis innouatur in creaturam Dei,  
 & fit nouus homo, qualis à natura non est, & alium  
 accipit sensum. Tria autem fiunt per baptismum:  
 omnia peccata remittuntur, deinde Spiritus sanctus  
 cum fructibus suis infunditur, Actor. 2 Tertio da-  
 tur illi vita æterna, Mar. vlt. Qui crediderit &c. hac  
 autem omnia fiunt meritis & gratia Christi in fide  
 uerbi. Sanguis igitur Christi lauat ab omnibus pecca-  
 tis credentem in baptismo. Spiritus sanctus ideò da-  
 tur, vt reprimat malas concupiscentias remanentes  
 in baptizatis, quas Deus vult ignoscere nobis pro-  
 pter fidem in Christum, si nō obedierimus concupi-  
 scentiæ, Roman. 6. Non regnet peccatum in corpore  
 vestro &c. Sed assidue cōtra illam pugauerimus: fi-  
 des igitur in Christū, & pugna contra concupiscen-  
 tiam per adiutorium Spiritus sancti, faciunt ne impu-  
 tetur nobis hæc concupiscentia, modò non contriste-  
 mus Spiritum sanctum, id est, fugiamus &c. Significat  
 autem mersio illa in aquam, suffocationem pecca-  
 torum: eleuatio, nouam vitam, sicut Apost. dicit Ro-  
 man. 6. Quicumque igitur baptizati estis in Christo,  
 ad mortem scilicet peccatorum estis baptizati, vt si-  
 cut Christus semel mortuus est, & nunc semper uiuit:  
 ita & vos qui semel estis mortui peccato in baptismo,  
 nunc in nouitate vitæ ambulare debetis.